



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Summula Casuum Conscientiæ**

In Qva Agitur De Præceptis Ecclesiæ, De Officio Confessarii, Ac De  
Censuris

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1652**

Articulus VIII. Quandonam peccent cooperantes ad violationem ieiunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41572**

## ARTICVLVS. VIII.

*Quandam peccent cooperatores ad violationem ieiunii.*

QVÆRITVR I. an peccet famulus, parans cibos prohibitos Domino, ieiunium, sine causa legitima, violare volenti. Responſio communis eſt non peccare, quia munus ſuum exequitur, ad quod aliàs ex contractu tenetur, nec poteſt ſine damno tale quid recuſare.

Quæritur 2. an peccet mortaliter pater familias cibos ad cœnandum, ſiue cauſa distribuens filiis, & famulis quo die ieiunare tenentur. Reſpondeo affirmatiuè, quia ſic directè eos inducit ipſo facto ad violationem ieiunii. de die ſi eos compellat ad laborem minime tunc neceſſarium, qui cum obſervatione ieiunii ſtare nequit. Item ſi iis denegat alimenta, ad vitam ſuſtentandam, & ieiunium ſeruandum neceſſaria.

Dixi, ſine cauſa, nã ſi ex ſubtractione cœnæ; filii, vel famuli occaſionem probabiliter eſſent ſumpturi furandi, aut negotia Domini negligenter, vel infideliter tractandi, exiſtimo in eo caſu minime peccatum patrem familias, qui ad cauendum tale damnum, cibos ad cœnandum neceſſarios iis ſuppeditaret.

Quæritur 3. an peccent caupones præparando cœnam iis, quos probè norunt à ieiunio exemptos non eſſe. Reſpondeo affirmatiuè, quia cooperantur eorū peccato, quod tamen ex lege charitatis tenentur impedire, ſi commodè poſſunt. Nec refert quòd ſi recuſent, petentes alibi cœnaturi ſunt, non enim debent peccato cooperari, vt aliud peccatum impediant. At in dubio, an cibos petentes excuſentur à ieiunio, bona fide porrigere poſſunt.

Quæritur 4. an qui in die ieiunii ſufficientem habet cauſam cœnandi, peccet mortaliter, ſi amicum

D s

à præ-

à præcepto ieiunii minimè immunem, inuitet ad secum cœnandum. Respondeo affirmatiuè, quia cum moraliter impellit ad violationem præcepti, & consequenter ad peccatum mortale.

Quod verum puto, etsi alter cœnare recuset, quia quantum est ex se, cum impellit ad violationem ieiunii. Item etsi inuitatus esset alibi cœnaturus, nisi ibi inuitaretur: quia eo non obstante, inuitans verè est causa impellens ad ponendum actum illicitum, nempe ad cœnandum die prohibito. Quare sicut nō licet inuitare ad fornicandum hic, eum qui alioqui esset alibi fornicaturus; ita non licet inuitare hic ad cœnam, die prohibito eum, qui seclusa tali inuitatione, a ibi esset cœnaturus.

Imò si inuitatus paratus sit alibi comedere carnes, non licet eum inuitare ad comedendos pisces; sicut parato committere adulterium, non licet ex communi sententia, positiuè consulere vt fornicationem perpetret: cum inuitatio ad cœnandum tempore prohibito, & ad fornicandum, sit intrinsecè mala, & rectæ rationi repugnans.

Potest tamen contingere vt inuitans cœnando non peccet, si nempe iam ante ieiunium violauit, vt patet ex supradictis. Quare tunc eum inuitare ad cœnandum die ieiunii, non esset per se loquendo peccatum: quia hoc non esset eum inuitare ad actum malum.

(\*)